

De Uso in Medicina tantum observavi apud Authores, *Pinguendinem* in elixatione supernatantem unguentum ad plagas ingredi, de tosta destillatam, aurum et nervorum doloribus mederi; glabro capiti illitam capillos restituere; cum pinguedine anseris, succo ruta, absynthii, hederae terrestris, et Cynoglossi subactam, ad vulnera praestantissimam esse: Fumum ex salitarum cute exceptum; tormina ventris ex dysenteria sopire; in vino putrefactam vini taedium parere. Evisceratam, tusam, et in olla vitrea coctam, cum pinguedine ac liquore, qui in fundo vasis remanet, haemorrhoidum cruciatus egregie lenire. Cingari Anguillas Equis per anum inferunt, ut obesiores, et agiliores videantur, Hippatri quidam

equo asthmatico Anguillam vivam ori inferunt, ut per intestina elaboratur. Alii et parvam imponi jubent purgationis causa. Nec propterea mortis periculum esse ajunt: quin Gesnerus afferit, nautam sibi notissimum vivam integrum deglutiisse, integrum per alvum, vivam reddidisse. Idem author est aliquos aureum et cholobaphicum colorem ex felle Anguillarum, aliorumve piscium vel boum parare: miscere autem aceti modicum et cum creta subigere in massam. Praetextatos earundem tergore verberari solitos Verrius teste Plinio tradit, et *Plin. H. N.* ob id multam his negat institutam. *l. 9. c. 23.* Praetextatos appellans impubes, eos nempe qui frugem aratro quaesitam nocte furtim secuissent, aut depopulati essent.

CAPVT V.

De Orbe.

TAB. XXIV. *H*ujus piscis solus meminit Plinius. *9. 10. 11. 12.* Durissimum esse pisces, *inquit*, *Plin. H. N.* constat, qui Orbis vocetur: rotundus *l. 32. c. 11.* est, et sine squammis, totusque capite constat. Gesnerus Apuleji, *Cranium* esse opinatur, quod ad cranii formam magnitudine, rotunditate, et dentibus humanorum similibus accedat. *Aldrovand.* *de Piscibus* *l. 4. c. 15.*

Tria ipsius genera descripsit Rondeletius, *quartum* addit Aldrovandus. *Primus* qui Orbis simpliciter figura, si caudam demas, sphaericus est. Squammis prorsus caret, cutoque tegitur admodum dura; quam asperam efficiunt aculei duri, quibus tota conspersa est. *Rostro* caret: *Capitisque* nullum appetet vestigium, quin (*ut Plinius ait*) totus capite (malim ventre) constare appetet. *Os* habet parvum, dentes vero magnos et latos, utrinque binos. Supra os duo exigua sunt foramina, olfactus, auditusve instrumenta: *Oculi* mediocres. Circa corpus medium unica est et semicircularis utrinque branchiarum scissura; prope quam etiam utrinque unam haud magnam, sed rotundam pinnam habere Salvianus ait, et in ico-*ne* exprimit. Rondeletius unicam es-

se ait, ut in Caprisco. *Hic* et in summo dorso pinnulam pingit, qua Bellonii icon et Salviani quoque caret, et ipse in descriptione non meminit. *Eam* tamen etiam videre est in ico-*ne* ad skeleton effecta a Gesnero, quae hic exhibetur. *Posterior* corporis pars in *caudam* brevem et rotundam, inque latam et fere lunatam pinnam desinentem degenerat; in cuius parte media atque superiore, pinna una erigitur, altera quoque inferiori parti haeret. *Color ei* cineraceus, lineis quibusdam latis et obscurioribus ex pisce medio exortis posteriorem ejus partem ad caudam usque pingentibus. *Est* maris Aegyptii accol, ex quo Nilum quoque subit, et in ejus ostio, quod Saiticum vocatur, capit. *Ob* insolentem corporis detractum corium tomento impletur, et in domibus ornatus causa suspenditur: suspensus, rostro ceti partem a qua flat ventus indicat. *Alter* *Scutatus* seu *Scutifer* *Aldrov. de Piscib. l. 4. c. 16.*

Est corpore terete, mucoso, capite magis exerto quam superior: oris scissu-